



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...


Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Capvt I. De actibus humanis in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979



TRACTATUS SECVNDVS,
DE ACTIBVS HVMANIS

Iuxta diuinæ legis normam dirigendis.



VONIAM gratiarum cœlestium fontes in Sacramentis; ea potissimum ratione per Christi merita nobis reclusi sunt, ut earum auxilio excitati, & subnixi, ad prepositum nobis finem, beatitudinem scilicet æternam perveniamus; nec aliter (ut docet S. Thomas 1. 2. in præmi q. 6.) quàm per actus aliquos nobis proprios ad illam tendere queamus; eandemque sit de virtute in virtutem, iuxta propheticum dictum Psalm. 83. & ascensiones in corde nostro discernenda, ut videatur Deus deorum in Sion; idcirco doctrinæ Theologicæ ordo postulat, ut nunc ipsos humanos actus consideremus, perspiciamusque, quinam actus ad beatitudinem illam æternam consequendam, apti sint & idonei, & e contra, quibusnam actibus ab ipsa beatitudine consequenda præpediamur.

CAPVT I.

De actibus humanis in genere.

SECTIO I.

Quis sit actus humanus propriè dictus.

OSERVANDVM est ex S. Thoma 1. 2. q. 1. a. 1. actus illos, qui ab homine eliciuntur, dupliciter spectari posse; scilicet in genere naturæ, quoad suam entitatem præcisè; & in genere moris, quoad libertatem cum qua

qua exercentur, & quoad ea quae fundantur in ipsa libertate, ut esse capaces laudis, vel vituperii, meriti vel demeriti: priori modo dicuntur actus hominis, posteriori vero actus humani: unde fit, ut per actum hominis intelligatur actus ille, qui ab homine fit: quocunque tandem modo fiat; actus vero humanus ille dicatur, qui fit ab homine in quantum homo: seu in quantum est Dominus actuum suorum, quando scilicet per rationem & voluntatem operatur: ac proinde secundum mentem S. Doctoris & communem Theologorum doctrinam, ad propriam actus humani rationem duo requiruntur; primo ut sit voluntarius, secundo ut sit liber. Illum hic considerabimus prout voluntarius est; de eodem vero prout liber est in seq. sect. agemus.

Actus igitur voluntarius is est (ut docet S. Damasc. lib. 2. de fide cap. 14.) cuius principium est in ipso agente cognoscente: unde sequitur, ad rationem voluntarii duo requiri. Primum est, ut procedat à principio intrinseco; si enim quis invitus, ac renitens ab extrinseco moveatur, motus ille non est voluntarius. Secundum est, ut procedat à principio cognoscente voluntas enim non fertur in incognitum: cuius quidem conditionis defectu motus lapidis quo fertur deorsum, quavis sit naturalis, non est tamen voluntarius: quia licet sit à principio intrinseco (propria enim gravitate movetur) non movetur tamen cum cognitione: motus autem animalis, cum ex aliqua cognitione imperfecta procedat, non nisi imperfectè voluntarius, seu potius spontaneus dicitur: proindeque ratio voluntarii solis actibus hominis proprie, & perfecte convenit; & à fortiori actibus Angelorum & ipsius Dei.

Porro ipsius humanae voluntatis actus duplicis sunt generis, alii siquidem sunt elicti, alii imperati. Actus elicti sunt illi, qui primo & per se exercentur, seu eliciuntur ab ipsa voluntate tanquam à proxima potentia. Actus vero imperati exercentur imperio ipsius voluntatis, & alicuius volitionis praecedentis, siue ab ipsa voluntate,

quae

quæ sibi aliquos actus imperat; siue ab aliis potentiis & ipsa voluntate distinctis, quæ per illam ad agendum mouentur & applicantur.

Cùm autem voluntas (vt communiter docent Theologi cum S. Thoma q. 8. a. 2.) sit tantum vel finis, vt mediõrum; tres enumerantur actus illius eliciti circa finem, scilicet volitio, intentio & fruiõ; qui actus sunt iidem cum amore, desiderio, & gaudio. Gaudium seu fruiõ versatur circa finem obtentum, seu circa bonum præsens; desiderium, seu intentio circa finem obtinendum seu circa bonum absens; amor & volitio circa finem bonum, abstrahendo ab eius absentia vel præsentia; Quibus ex aduerso respondent odium, timor, & tristitia circa malum. Tres item sunt actus voluntatis eliciti circa media; scilicet electio, consensus, & vsus: electio voluntas præfert, & amplectitur vnum medium præ aliis; consensus approbat iudicium intellectus circa illud medium; vsus applicat potentias ad executionem.

Quærant Theologi, vtum electio, & intentio sint semper actus inter se realiter distincti; seu an voluntas vna eodem actu possit velle finem & media. Resp. iuxta probabiliorẽ sententiam, quæ est etiam S. Doctoris q. 10. a. 4. quòd, quamvis hi duo voluntatis actus, vt plurimum inter se distinguantur, absolutè tamen loquendo potest voluntas vna & eodem actu velle finem ac media; sicut potest intellectus principium & conclusionem eodem actu cognoscere.

Quod verò spectat ad actus imperatos, tot sunt, & tam multiplices & varii, quot & quam multipliciter ab ipsa voluntate, aut aliis potentiis, ad eiusdem voluntatis imperium exerceri possunt: de quibus omnibus plenius agunt Philosophi in Ethicis; & videri potest S. Doctoris q. 17. a. 1.

Cæterum docet idem S. Thomas, omnes actus voluntatis humanæ procedunt, siue elicitos, siue imperatos, essentialẽ suam differentiam ac speciem desumptam à fine proximo, quem agens spectat & intendit; hoc

ratione seu motivo, quo movetur voluntas ad aliquid appetendum & volendum, & è contra: quod motivum vocatur etiam obiectum formale ipsius voluntatis. Unde sequitur actus illos, qui habent eundem finem proximū, seu idem obiectum formale, esse eiusdem speciei; tamen si habeant diversa obiecta materialia: v. g. si quis ieiunet, & eleemosynam largiatur purè ob amorem Dei, ut illi placeat, ut gloriam illi deferat; ieiunium illud, & eleemosyna erunt formaliter actus charitatis, quamvis materialiter ad virtutes specie diversas, abstinentiæ scilicet & misericordiæ, pertineant: & è contra illos actus distinguere specie, qui licet habeant idem obiectum materiale, à motivis specie distinctis oriuntur: e. g. oratio, quæ materialiter considerata est actus virtutis, religionis, si fiat ex motivo satisfaciendi Deo pro peccatis, erit actus Pœnitentiæ, si ex motivo alicuius alterius virtutis, ad virtutem illam pertinebit.

SECTIO II.

Quis Actus verè & propriè sit liber.

DICENDUM est, actus humani libertatem in eo consistere, ut eliciatur, vel imperetur à libera voluntate, ut sic; seu quatenus libera est, & liberè operatur, illa autem voluntas dicitur libera, & liberè operari, quæ nullam in agendo nequè coactionem, neque necessitatem patitur; sed positis omnibus ad agendum prærequisitis, libera semper manet & indifferens, siue quoad exercitium, siue quoad specificationem actus, seu ad agendum, vel non agendum; ad hoc vel illud agendum.

Hæc assertio duas habet partes: in prima dicimus, actum illum liberum esse, qui elicitur, vel imperatur à libera voluntate: libertas enim propriè & primò ipsi voluntati cõpetit, & ex illa in actum derivatur, quod per se patet.

In secunda parte dicimus, libertatem voluntatis in eo consistere; quod voluntas nullam neque coactionem neque

neq; necessitatem patitur: sed positis omnibus ad agendum prærequisitis, libera manet, & indifferens ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum. Hæc propositio (quæ de fide esse asserit Ham. Di. 1. de lib. arb. art. 2.) probatur 1. ex script. Deut. 30. *Testes in vobis die cæli & terram: quod proposuerim vobis vitam & mortem &c. Elige ergo vitam: 2. Reg. 24. Hæc dicit Dominus: Trium datur optio, elige unum quod volueris ex his.*

Probatur 2. ex S. Athanas. orat. ad Gentes. *Anima, qui quit, cognoscens liberum sui arbitrium, videt se posse uti corpore partibus ad utraque, ad bona, & ad mala.* S. Cyrillo Alex. lib. 4. in S. Ioan. *Liberum est, inquit, & proprie electionis in omnibus in utrumque desistere, aut in dextram partem, aut in sinistram; in virtutem d. o. vel vitium.* S. Cypr. epist. 55. *inquit, libertati sue relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibi met ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Et S. Anselm. in priori parte libri de concordia lib. arbitrii cum prædestinatione Dei & prædestinatione, ubi expressè dicit, *Deum non volentis voluntatem nulla necessitate cogi, aut prohiberi ad agendum, vel non volendum.* Ibidem fuse explicat, & prædeterminatam antecedentem, qua voluntas ad unum quod determinatur, libero arbitrio adversari; docetque voluntatem indifferentem esse ad oppositorum alterum eligendum; quamvis, postquam unum re ipsa delegit, necessitatem quandam ipsa sibi faciat, quam consequentem vocant Theologi, quæ ex ipsa effectus positione sequitur.

Ad faciliorem verò intelligentiam eorum, quæ de libertate voluntatis humanæ in actibus suis dicta sunt, postea dicentur, duo sunt hic observanda. Primum est, ut voluntas libere operetur, requirit præviam rationem advertentiam & deliberationem; id est, ut voluntas simpliciter intellectum ad considerationem convenientis vel disconvenientis, quæ in quolibet objecto appetenti creato reperitur; hæc enim consideratio, & delectatio intellectus, quamvis non sit causa libertatis, quæ

quam voluntas humana ex se, & ex innata sibi indifferentia obtinet; est tamen conditio, sine qua voluntas libertate illa in actibus suis uti non posset: per illam enim obiectum proponitur voluntati cum variarum rationum oppositione, & quadam veluti indifferentia: nullum siquidem est obiectum creatum, in quo intellectus humanus varias & oppositas rationes convenientiæ & disconvenientiæ non deprehendat: unde proposito sic quovis obiecto creato, voluntas semper manet indifferens ad illud appetendum, vel repudiandum. Quod si advertentia illa, aut deliberatio intellectus secundum quid impediatur, actus à voluntate elicitus, vel imperatus, erit tantum secundum quid liber: si omnino & totaliter impediatur, ut contingere potest ex aliqua vehementi passione, aut distractione, actus ille omni prorsus libertate carebit, proindeque omniratione meriti vel demeriti: quod fufius explicabitur infra, cum ageretur de peccatis.

Secundum est, actum primum intellectus, seu primam cogitationem, quæ in quovis negotio deliberationem & voluntatis imperium præcedit, esse quidem actum hominis: non verò actum humanum, cum non sit liber, omnis enim actus liber à voluntate debet elici aut imperari: sed primus ille actus intellectus, seu prima cogitatio, non est à voluntate, quæ in incognitum ferri non potest; sed vel ab obiecto aliquo sensibus externis occurrente, vel immediate ab ipso Deo intellectum excitante, interdum etiam ab Angelo bono vel malo species imaginativas commovente: unde tamen non sequitur, hominem ab eiusmodi prima cogitatione determinari, aut necessitari ad aliquid volendum, quando humano modo agit, seu quando advertit se illud velle, licet nullam adhuc rationem disconvenientiæ deprehendat in obiecto illo quod per primam cogitationem proponitur, potest enim

enim tunc illius voluntas ob summum quod obtinetur in se, quam in alias potentias dominium, posita quacumque pravia cogitatione, & quocumque iudicio pravi ipsius intellectus, vel actum suum suspendere, vel intellectum applicare ad considerationem magis attentam eiusdem obiecti & circumstantiarum eius, & sic cum plena deliberatione rationis ad illud appetendum, vel determinandum se ipsam determinare.

SECTIO III.

Undenam actus humanus bonitatem suam, vel malitiam desumat.

Duplex bonitas in quolibet humano actu spectari potest, naturalis scilicet & moralis. Bonitas naturalis consistit in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ naturaliter ad ipsius actus entitatem requiruntur: bonitas verò moralis in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ cuilibet actui humano secundum rectam rationem conveniunt. Et de hac bonitate moralis quaestio proposita intelligi debet; undenam scilicet bonitas, seu rectitudo moralis, vel malitia moralis illi proposita, in quemlibet actum humanum derivetur. Proponitur in resolutione.

Dicendum 1. bonitatem, vel malitiam actus humani illius obiecto desumi. Ita S. Thom. q. 18 a. 2. & contra scriptura; Osee 9. *facti sunt abominabiles sicut ea quæ dixerunt*: ex quibus verbis patet, malitiam humanorum actuum, ob quam fit homo Deo abominabilis, provenire ex obiectis malis, quæ diligit, & quibus adhæret: unde Aug. epist. 52 ad Macedon. dicit quòd, *Mores nostri, quod unusquisque diligit, diiudicari solent*. Et probari potest ea potest inductione: ideo enim velle orare censetur bonum; quia oratio (quæ est obiectum illius voluntatis) est ex se moraliter bona; & eò contrà velle furari est malum, quia furtum (quod est illius obiectum) malum est.

Dicendum est bonitatem, vel malitiam actus humani desumi ex illius circumstantiis. Ita S. Thomas: & satis constat ex eo, quod passim in scripturis actiones plurimæ propter circumstantias aliquas bonas, vel malas laudantur, vel vituperantur; ut S. Matth. 6. laudatur eleemosyna, & oratio facta in abscondito; & S. Luc. 21. commendatur eleemosyna duorum minorum, & aliis majoribus donis præfertur ob circumstantiam personæ viduæ & pauperis; & ejusdem S. Luc. 16. ommissio eleemosynæ ex variis circumstantiis, in persona divitis epulonis culpabilior esse demonstratur.

Verumtamen assertio hæc facilius intelligi possit, quædam hic observanda sunt. Primum est, circumstantiarum nomine à Theologis significari accidentia quædam actus humani, sic dicta, quod illum veluti circumstantent, ipsique jam per obiectum suum in aliqua specie boni, vel malæ constituto adveniant.

Secundum est, non omnia, quæ actum humanum circumstant, inter ejus circumstantias numerari: sed ea tantum, quæ ita illum circumstant, ut ad ejus bonitatem aut malitiam aliquid conferant: e. g. nihil interest, an percussio manu dextra, vel sinistra facta fuerit, sed attendi debet, an quis fruste, vel gladio, patrem, an hominem incognitum percusserit.

Tertium est, septem præcipuas actus humani circumstantias à S. Doctore Quæst. 7. a. 3. numerari, quæ hoc versiculo comprehenduntur;

Qui, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Qui personæ agentis qualitatem designat. *Quid*, obiecti conditionem: *ubi*, locum: *Quibus auxiliis*, adionis adjumenta: *Cur*, ejusdem actionis finem: *Quomodo*, magnitudinem seu intentionem affectus, advertentia rationis, &c. *Quando*, tempus quo actio peracta, ejusque actionis durationem. Quæ quidem circumstantiæ non omnes & singulæ simul, sed modò hæ, modò illæ quemlibet actum humanum afficiunt; ad illiusque proinde bonitatem, vel malitiam conferre possunt.

Quartum est, ex supra enumeratis circumstantiis quædam

dam augere, vel minuere bonitatem vel malitiam actus intra eandem speciem, e. g. malum est percutere iniuste quemvis hominem, peius est percutere benefactorem alias vero addere actus bonitatem vel malitiam specie distinctam, e. g. percutere Secerdotem: in illa enim percussione præter malitiam, quæ illi propria est, quatenus iustitiæ repugnat, circumstantia personæ sacre percussæ inducit in ipsum actum novam, & specie distinctam sacrilegij malitiam, & deformitatem.

Dicendum 3. bonitatem, vel malitiam actus humani desumi quoq; ex fine in quem actus dirigitur ab operante. Ita S. Tom. a. 4. & constat ex his Christi Domini verbis S. Matth. 6. attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestram: quæ verba explicans S. Ambrosius in capit. 1. S. Luc. bona est, inquit, misericordia bona est oratio; sed potest iniuste fieri, si iactantia causa aliquis pauperi largiatur, ut videatur ab hominibus Et S. Aug. in ps. 31. Non valde, inquit, attendas quid homo faciat sed quid cum facit, aspiciat.

Ex his colligitur secundum mentem S. Doctoris bonitatem, vel malitiam actus humani ex his tribus præsertim pendere; scilicet ex objecto, circumstantiis, & fine; hac tamen differentia, quod, ut actus aliquis censetur malus, sufficiat quocunque defectus moralis, sive ex parte objecti, sive ex parte finis, aut circumstantiæ alicuius; ut verò bonus sit, requiratur objectum moraliter bonum, finis bonus & honestus, & præterea, ut ejusmodi actus nulla prava circumstantia vitietur: bonum siquidem (ut docet S. Dion. cap. d. divi. nomin. (pendet ex integra causa) malum ex quocunque defectu.

Dicit aliquis, frustra & superflue dici, actum humanum bonitatem vel malitiam desumere ex fine, cum ipse finis inter circumstantias numeretur.

Resp. ideo speciatim considerari bonitatem vel malitiam, quæ ex fine in actum humanum derivatur; quia finis præ aliis circumstantiis hoc habet peculiare, quod non modo

modo a speciali, circumst

Quæ necessaria, Resp rel

tem viri liter res

eum sine ceatur: o

fiuere au moveat

fiat, obse rantis: fi

illi mor miseric

opus ull ur largi

exercer rantis, o

arbitrat tis facia nitaten

quod p tem vir

An

DVP me dum si habea talis a ut à n

modò actum humanum circumstet; sed etiam in illum speciali, modo influat; habeatque rationem non solum circumstantiæ, sed etiam causæ moralis.

Quæres, quanam relatio actus humani in finem sit necessaria, ut ex ipso fine bonitatem, vel malitiam recipiat. Resp relationem illam; esse debere vel actualem, vel saltem virtualem; id est, necessarium esse, ut operans actualiter referat, aut saltem antea retulerit actionem suam in eum finem, ita ut virtute illius relationis actio ab eo exercatur: quia necesse est, ut finis influat in actionem: influere autem non potest, nisi uno ex his duobus modis moveat operantem ad agendum: quod ut clariùs adhuc fiat, observandum est, finem alium esse operis, alium operantis: finis operis est ipsius actioni intrinsicus, ideoque illi moralem essentiam seu speciem tribuit, e.g. ut quis ex misericordiæ motivo pauperi det eleëmofynam, non est opus ulla explicita relatione ad talem finem; sufficit enim ut largiens eleëmofynam, cognoscat se misericordiæ opus exercere, illudque liberè exercere velit. Alter est finis operantis, qui & extrinsecus dicitur, quem ipse operans suo arbitratu sibi præstituit, velut si detur eleëmofyna, ut satisfaciatur pro peccatis; ad hoc autem, ut ejusmodi finis bonitatem suam actui communicet, debet in illum influere, quod præstare non potest, nisi operans actualiter, aut saltem virtualiter actionem suam in illum referat.

SECTIO. IV.

An detur aliquis actus indifferens, seu qui nec bonus, nec malus sit.

DVPLEX quæstionis propositæ sensus esse potest: primò, an detur actus aliquis humanus indifferens secundum speciem; seu qui ex parte objecti sui nec bonitatem habeat, nec malitiam moralem: secundò, an detur etiam talis actus indifferens secundum individuum, id est, qui prome à nobis hic & nunc advertente ratione liberè exercetur.

O 2 nul-

nullo ex capite bonus sit, vel malus moraliter. Pro cuius resolutione.

Dicendum 1. dari aliquem actum humanum, qui sit indifferens secundum speciem. Ita Thom. q. 18. a. 8. & cum eo communiter omnes Theologi. id etiam expresse docet S. Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 28. ubi explicans illud Domini *Matth. 7. Nolite iudicare, ut non iudicemini, & concilians cum aliis eiusdem Christi Domini verbis ibidem *A fructibus eorum cognoscetis eos*, ait, hoc posterius dictum intelligendum esse de manifestis operibus, quae non possunt bono animo fieri, cuiusmodi sunt blasphemia, furta: prius verò de operibus indifferentibus, cuiusmodi est ciborum sumptio, &c. unde hoc modo concludit; *Sunt ergo quaedam facta media, quae ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt; de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus.**

Dicendum 2. quòd quamvis probabile sit nullos dari actus humanos indifferentes in individuo, propter plurimorum Theologorum praesertimque S. Doctoris, auctoritatem, qui eiusmodi dari actus negant; probabilius tamen videri dari aliquos eiusmodi actus in individuo, qui nec boni sint, nec mali moraliter. Ita S. Bonav. in 2. dist. 41. a. 1. q. 4. & plures alii, quos citat & sequitur Lel. in quaest. 11. art. 9. dub. 10. Et probatur auctoritate S. Hier. epist. ad S. Aug. quae est 15. inter Augustinianas, ubi sic loquitur: *Inter utrumque (bonum scilicet & malum) indifferens est ambulare, navibus capitis purgamenta projicere, &c. nec bonum nec malum est, sive enim feceris, sive non feceris, nec iustitiam habebis, nec iniustitiam.* Item S. Gregor. hom. 27. in Evang. ubi loquens de dilectione proximorum, quae procedit non ex charitate, sed ex affectu cognationis & carnis, ex una parte negat talem dilectionem esse actum virtutis, ex altera vero affirmat malam non esse, nec ei facti eloquia contradicere: unde sequitur, esse indifferentem cum nec bona nec mala sit.

Probatur praeterea ex eo, quòd appetitio commodi & fuga incommodi naturalis non est mala ex obiecto, ut per

se patet; neque etiam bona moraliter, cum non pertineat ad ullam virtutem moralem: ergo quando quis simpliciter appetit commodum, aut refugit incommodum aliquod naturale, eius actio nec bona mala est, ac proinde indifferentis.

Dices, illam appetitionem esse malam, eo quod non referatur in finem aliquem bonum & honestum; cum teneatur homo actiones suas semper in aliquem finem bonum & honestum referre.

Resp. 1. negando teneri hominem ad actiones suas in finem bonum & honestum referendas, ut sint bonæ & honestæ moraliter: quod etiam negant S. Bonav. supra & plurimi alii graves authores, quos citat Isamb. disp. 7. in 1. 2. ad qu. 18. art. 2. asseruntque ad hoc, ut actus humanus sit bonus moraliter, satis esse, ut eius obiectum in quod voluntas liberè fertur, sit moraliter bonum & honestum; nec ulterius requiri, ut ab operante in bonum aliquem finem referatur.

Resp. 2. quamvis concedatur, teneri hominem ad actiones suas in finem bonum, & honestum referendas, ut sint bonæ & honestæ moraliter; inde tamen non sequi defectu eiusmodi relationis actiones illas esse malas, sed tantum non esse bonas & honestas, quod ultro fatemur, ac proinde indifferentes.

Instabis, actiones illas fore otiosas, ac proinde malas.

Resp. negando actiones illas, quæ in finem moraliter bonum non referuntur, esse otiosas; quia (ut docet S. Bonavent. supra) possunt ipsi naturæ esse necessariae vel utiles; quod sufficit, ut otiosæ minimè censeantur.

Quamvis autem hæc sententia, quæ asserit dari posse actus aliquos in individuo indifferentes, probabilis sit & tuta, & etiam in praxi conducere videatur ad evitanda multa peccata, quæ secundum oppositam sententiam frequentissimè committi possent; hoc tamen obstare non debet, quin unusquisque peculiari studio curet omnes & singulos actus suos in finem aliquem optimum & Deo acceptissimum

acceptissimum referre, juxta consilium Apostoli 1. Corin. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite:* quod explicans S. Basil. hom. sanctam Iulittam martyrem sic loquitur; *Accumbens mensa, ora; estans panem, largitori gratiam rependito; bibis vinum, memento ejus qui illud tibi dedit ad letitiam & infirmitatis solamen, tunicam induis, gratias agito benigno datori; suffragans in caelum & siderum pulchritudinem intueris, proside Deo, & oleum, qui omnia hac in sapientia condidit, &c.*

SECTIO V.

Utrum ad hoc, ut quis bene operetur, teneatur sequi conscientiam dictamen.

QUONIAM ex hujus quaestionis recta intelligentia tanquam ex certo aliquo principio, pendet resolutio plurimarum difficultatum ipsius Theologiae moralis, idcirco paulò fusiore illius explicationem proponemus, eamque majoris facilitatis gratia in aliquot paragraphos distinguemus.

§.

Quid sit conscientia, & quotuplex.

OBSERVANDVM est juxta doctrinam S. Thomae 1. 2. q. 79. a. 12. & 15. hanc esse differentiam inter conscientiam, & synderesim; quòd synderesis sit habitus naturaliter nobis insitus principiorum practicum; principia autem practica sunt quaedam regulae universales, se notæ, circa directionem actionum humanarum, &c. si *Quaedam lumina virtutum* (ut loquitur Aug. lib. 2. de arb. c. 10.) cujusmodi sunt: *iuste esse vivendum: sua cuique se reddenda, &c.*

Conscientia autem est actus intellectus quo apprehendimus cognitionem illam universalem practicam actioni licet singulari, & judicamus hic & nunc aliquid agendum.

tanquam bonum, vel devitandum tanquam malum e.g. ex illo principio universali; quod malum & peccatum omne devitandum sit; conscientia hanc deducit conclusionem: ergo hoc furtum, quod est malum & peccatum, devitandum est. Hinc S. Basil. hom. in principium Prov. dicit in nobis esse *Judicium quoddam naturale, quo ab iniquis bonis facile discernimus.*

Hæc verò conscientia judicat tum de actionibus præteritis, eas vel accusando tanquam male factas, vel tanquam rectè factas commendando, juxta illud Apostoli Rom. 2. *Testimonium reddente in eis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus aciusantibus, aut etiam defendentibus:* tum de actionibus futuris, dictando scilicet ea quæ agenda sunt, tanquam bona; aut quæ omittenda sunt, tanquam mala: unde idem S. Basil. supra dicit, intra cordis arcana Tribunal quoddam esse constitutum, in quo quælibet agenda velut in trutina, & lance suspenduntur & libruntur.

Sicut autem judicium illud practicum multipliciter se habere potest circa actiones particulares, sic etiam à Theologis conscientia multiplex esse dicitur: alia siquidem est conscientia recta, alia errans, alia scrupulosa, alia dubia.

Conscientia recta dicitur, quando judicium practicum intellectus verum est, ac rectæ rationi consentaneum: errans, quando falsum est: scrupulosa, quando inani & frivolæ ratione suspicatur, aut formidat illic malum & peccatum esse, ubi re vera non est; dubia denique est, cum neutri parti determinatum assentum præbet, sed inter utramque fluctuat. De singulis breviter agendum est, & videndum, qua ratione quis obligetur quocumque in casu conscientia dictamen sequi.

§. II.

Quæ sit obligatio conscientia rectæ.

QUÆSTIONIS sensus est, an semper quis obligetur sequi dictamen conscientia aliquid rectè præcipien-

cupientis, aut prohibentis, seu iudicantis hinc & nunc incumbere obligationem, ad aliquid faciendum vel omittendum. Pro cuius resolutione.

Dicendum est, iudicium & dictamen illud conscientie recte ita obligare hominem, ut delinquat & peccet, ac illud in operando sequatur. Ratio est, quia conscientia seu iudicium illud intellectus practici recte aliquid praecipientis aut prohibentis, est proxima regula voluntatis operantis, vel moventis alias potentias ad operandum docet S. Thom. 1. 2. q. 17. a. 3. & 9. per illud siquidem iudicium voluntati innotescit, & quasi intimatur bonitas moralis, vel pravitas obiecti, circumstantiarum, & finis: unde sequitur, voluntatem à regula sua deviare, ac proinde peccare, nisi conscientiam recte praecipientem in operando sequatur.

Diximus conscientiam, seu iudicium rationis esse proximam regulam humanæ voluntatis, & operationum eius: alia est enim regula remota, quæ tamen primaria & principalis, nempe lex æterna & divina, seu iudicium illud infallibile, quo Deus ab æterno vidit & determinavit quid in actibus humanis esset bonum aut malum, iustum aut iniustum; quidve in quocunque casu particulari faciendum esset, aut omittendum: quod quidem iudicium divinum unicuique hominum innotescit per ipsius rationis lumen, quod ab illo veluti quidam radius derivatur iuxta illud Psalmistæ Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: proindeque huic divino iudicio humanum iudicium, seu ipsius conscientie dictamen, quæcumque sit, debet conformari.

§. III.

Quæ sit obligatio conscientie errantis.

SUPPONIMVS duplicem esse ignorantiam, ex qua conscientia provenire potest: alia enim est ignorantia vincibilis, alia invincibilis. Ignorantia invincibilis illi

Quæ nulla morali diligentia vinci, aut superari potuit; vel quia nunquam venit in mentem dubitare, & ignoratur; vel, licet in mentem venerit, adhibita tamen sufficienti inquisitione ignorantia illa depelli non potuit, nec proinde debuit; cum nemo ad impossibile obligetur: ignorantia verò vincibilis illa est, quæ adhibita morali aliqua diligentia vinci ac superari potuit, ac proinde debuit. Hæc distinctione supposita.

Dicendum primò, conscientiam errantem ex ignorantia invincibili obligare voluntatem ita ut peccet, nisi dictamen illius in operando sequatur. Ita S. Thom. q. 18. a. 5. & probatur ex Apostolo Roman. 14. *Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existit mat quid commune esse, illi commune est:* quibus verbis declarat Apostolus, quòd per gratiam Christi Domini fideles nullo cibo veluti communi, hoc est immundo, inquinentur; nisi quis existimet escam aliquam, v. g. carnem suillam etiam nunc communem, id est, immundam & vetitam esse: quia tunc ejusmodi esca illi foret illicita propter conscientiam errantem; unde subiungit paulò post, *Qui autem discernit, (inter cibos scilicet, existimans aliquos secundum legem Moyse vetitos esse) si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide, (id est, quia non agit secundum persuasionem, seu dictamen conscientie) Omne autem, quod non est ex fide, (id est, ut explicat S. Doctor. art. 5. quod fit contra persuasionem, & dictamen conscientie) peccatum est.*

Ratio autem hujus doctrinæ ex eodem S. Doctore est; quia, cum objectum voluntatis, sit bonum vel malum moraliter, prout ab operante tale judicatur; ideo si ex ignorantia invincibili judicet, illud esse malum, quod tamen revera malum non est, voluntas illi adhaerendo consentiet in malum, & proinde in peccatum: è contrà verò, si ex eadem ignorantia judicet esse bonum, quod re vera malum est, voluntas illud amplectendo non peccabit; imo poterit benè operari.

Dicendum 2. si error conscientie ex ignorantia vincibili pro

li procedat, tunc voluntatem neque ad operandum, neque ad non operandum obligari, sed ad illum errorem deponendum. Ita S. Thom. art. 6. & S. Bonav. in 2. dist. a. 1. quæst. 3. Ac in primis, quod neque ad operandum neque ad non operandum obligetur, constat ex eo, quod utrobique peccaret (ad quod tamen nullus obligari potest.) operando quidem secundum dictamen conscientie, quia ad malum impellit: nec illius mali ignorantia excusat; quia vincibilis & proinde voluntaria est: non operando verò; quia, si conscientiam illam non deponat, contra illam; quæ qualiscunque sit, est semper proxima voluntatis operantis regula, contra quam nullatenus licitum est: unde Apostolus, *Gal. 5. Testificor inquit vobis, quod omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universali facienda*; in quantum scilicet iudicat ex conscientia erronea vincibili, Mosaicæ legis observationem esse necessariam; unde sequitur, quod ad evitandum peccatum conscientiam illam erroneam deponere teneatur, cum hoc supponimus) id possit vel applicando intellectum ad attentius considerandum in quo se falli suspicatur, vel alicujus & prudentis viri consilium exquirendo; propriumque iudicium, quod sibi aliquantulum suspectum illius monitis humiliter submittendo.

§. IV.

Quid de conscientia scrupulosa sentiendum sit.

PER CONSCIENTIAM scrupulosam nihil aliud intelligimus (ut supra dictum est) nisi iudicium quoddam imperfectum ex inani aliqua & invola ratione ortum, quo quis suspicatur, vel timetibi peccatum, ubi revera non est: ex quo patet iudicium illud falsum esse, & sic conscientiam scrupulosam esse quædam veluti speciem conscientie errantis; proinde quæ ipsa conscientia scrupulosa idem dicendum esse, quod conscientia erronea vincibili; scilicet illam esse deponendam.

dam; aliàs instare periculum peccandi, si quis ea non de-
posita operetur, vel non operetur secundum dictamen il-
lius.

Vt autem conscientia illa scrupulosa deponatur, atten-
dere quisque debet, quæ sit præcipua & magis ordinaria
scrupulorum sibi in animo suboriri solitorum causa: in
quibusdam enim scrupuli ex ignorantia procedunt; in a-
liis ex quadam mentis inconstantia & fluctuatione; in a-
liis ex ipsius cerebri debilitate, vel frigida & timida com-
plexione, aut etiam ex melancholia, seu atræ bilis redun-
dantia: in aliis ex occulta superbia, quæ aliorum iudicio
subiici renuit: in aliis ex consortio personarum scrupulo-
sarum, aut lectione librorum, in quibus Theologiæ mo-
ralis axiomata quædam rigidiora proponuntur: in aliis
denique ex ipsius dæmonis suggestionibus, Deo ob causas
æquissimas licet minus notas ita permittente.

Perspecta verò illorum scrupulorum causa & origine,
propria & apta remedia adhibenda erunt: & si quidem
ex infirmitate aliqua corporis proveniant, ex medici con-
silio solatia, & subsidia quaerere oportebit: si ex ignoran-
tia, doctrinam sanam, & rectam opponere conveniet: si ex
superbia, humilitas erit sectanda, maximè in deponendo
proprio iudicio, illudque piis & salutaribus monitis alte-
rius, quantum expedit, submittendo: si ex dæmonis sugge-
stione, animi fluctuatione, & aut alia simili causa orian-
tur: auxilium divinum humili prece postulandum erit: sed
præcipuum & saluberrimum contra omnia scrupulo-
rum genera remedium est, confessario, aut alteri cui-
piam viro pio, prudenti & docto scrupulos illos, statum-
que animi interiorem fideliter, ac sincerè aperire, ejus
consilijs humiliter acquiescere, illiusque iudicium, recla-
mante licet conscientia scrupulosa, quæ nusquam au-
dienda, sed semper deponenda est, constanter sequi. Ita S.
Antoninus, Navar. Valent. & alii apud Laym. tract. i. de
conscient. cap. 6.

Quod si quis aliquando ita scrupulis urgeatur, ut nec
apud se quid factò opus sit statuere, nec adire confessa-
rium,

rium aut à quoquam consilium requirere possit : tunc ipsamet ad scrupulos concipiendos proclivitas sufficiens ratio esse potest, ipsam conscientiam scrupulosam deprensiendi, & penitus abijciendi : imò persona timorata conscientia, quæ citius mori eligeret, quàm data opera displicere, in his casibus, in quibus dignoscere non potest an peccaverit necne, v. g. an consensum plenum & deliberatum tentationi alicui præbuerit ; tunc sibi persuadere potest se non consensisse deliberatè, nec peccatum ullum saltem mortale commississe : cum fieri non possit, quod consensum illum plenè advertisset, si deliberatè tentationi illi consensisset : secus verò dicendum de ijs, qui in peccata mortalia crebrò incurrunt : illis siquidem tutius est in scrupulis rigidiorè partem amplecti, seque peccatores agnoscere & confiteri, quàm sibi periculose adhaerere ; cum tales ut plurimum ob peccandi assuetudinem peccatorum stimulum vix persentiant.

§. V.

Quid sit conscientia dubia, & in dubiis quid agendum.

OBSERVANDVM EST, aliud esse dubium juris, aliud verò dubium facti. Dubium juris dicitur illud, quod est de obligatione, vel de legitima facultate agendi, aut de legitimo actus valore dividiturque in dubium speculative & dubium practicum. Dubium speculative illud est, quo dubitatur de realiqua utrum licita sit, aut vitiosa, valida, aut invalida; v. g. an talis contractus sit licitus an Matrimonium tali modo contractum sit validum. Dubium practicum est cum in particulari dubitatur, utrum hic & nunc liceat talem contractum inire tali cogitatione consentire.

Dubium vero facti est illud quo ambigitur utrum quid factum sit nec ne; v. g. utrum votum emissum sit, & emissum est, utrum impletum fuerit, His observatis

Dicendum 1. aliquid facere, vel omittere cum conscientia practicè dubia, seu cum dubio juris practico, semper est peccatum. Id constat tum ex cap. *Dominus*, de secundis nuptiis, ubi Lucius 3. summus Pontifex declarat illum, qui post secundum matrimonium bona fide contractum dubitare incipit de morte prioris coniugis, & utrum licitè possit secunda coninge debitum exigere quam diu in illo dubio hæret, peccare, si debitum exigat: tum etiam ex eo quod ex pönens se deliberatè peccandi periculo peccat ut docet S. Tho. Quodlib. 8. art. 13. atqui operans cum tali dubio practico, exponit se periculo peccandi: ergo peccat.

Dicendum 2. non esse peccatum facere aliquid, vel omittere cum dubio speculativo, dummodo practicè iudicet operans, hinc & nunc tale opus sibi esse licitum, e.g. quamvis subditus speculativè dubitet, an bellum illud, quod à principe suo geritur, sit iustum, tamen in particulari practicè iudicare potest licitum sibi esse in tali bello pugnare, quamdiu ipsi non constat, quod sit iniustum, ut expresse docet S. Aug. Lib. 22. cont. Faust. c. 7. nihil enim obstat quin cum dubio speculativo simul consistere possit iudicium practicum verum & certum quia iudicij speculativi & practici veritas & certitudo ex diversis principiis & rationibus pendet: alia siquidem sunt rationes, ob quas aliquis de iustitia belli à principe suscepti dubitare potest; alia verò, ob quas iudicare potest licitum sibi esse in tali bello pugnare.

Dicendum 3. in dubiis facti, quoties urget necessitas, in qua de salute animæ agitur, tutiorem partem esse semper eligendam. Id constat ex cap. *Si quis autem*, de pœnitentia quest. 7. & ex cap. *Iuvenis*, de sponsalibus: unde sequitur, quod in collatione Sacramentorum, quæ ad salutem necessaria sunt, quando dubium aliquod emergit, sententia tutior pro salute illius cui conferuntur, amplectenda sit, e.g. si dubitetur, an puer Baptismum susceperit necne, tutior pro illius salute sententia amplecti debet, quæ est Baptismum illi sub conditione esse conferendum: quod etiam

à simili dici debet, quando salus corporalis alicuius periclitatur: tunc enim medicus succurrere tenetur eo medicamento, quod tutius esse iudicat; aliàs graviter peccaret, si eo posthabito experiendi gratià medicamentum minus certum adhiberet.

In aliis verò dubiis, in quibus non est adeò urgens necessitas, neque etiam tam arcta intercedit obligatio ad tutiorem partem amplectendam (præsertim si grave sit quod incommodum inde sequatur, e.g. qui de naturali sui dubitat, utrum legitimus, sit an illegitimus) non tenetur semper sequi partem rigidiorem, & tutiorem sed mitiorem & benigniorem, dummodo probabilis & certa sit amplecti potest. Ita Navar. cap. 27. numer. 130. Sylv. verbo, *Filius* quaest. 12. vbi Panorm. & alios Doctores citat.

Dicendum 4. in dubio meliorem semper esse conditionem possidentis. Ita habetur regula 65. in 6. ex quo sequitur quod, si quis dubitare incipiat, utrum res quam hactenus bona fide possedit, sua sit vel aliena, nec diligenti inquisitione adhibita id cognoscere possit, tunc illi sibi tuto potest retinere. Ita Ioan. Med. quaest. 17. de restitutione, Sylv. verbo, *Præscriptio*, num. 3. ubi citat Glossam & Panormit. qui hanc sententiam dicit esse communem.

Dicendum 5. in dubio factum non præsumi, sed demonstrari debere. Ita Sor. Suar. Azor, & plures alijs, quos citat & sequitur Laym. tract. 1. de conscientia c. 5. parag. 3. & sequitur L. *In bello*, parag. *facta*, ff. *captivis*, e. g. in dubio, utrum quis votum emisit, non debet censeri obligatus, si autem constet illi de voto emisso, dubitet autem, an illud impleverit, tunc ad illud implendum tenebitur. præter cit. Doctores Suar. lib. 4. de voto cap. 5. Item dubitans, an lex aliqua ita sit vel promulgata; si post diligentem inquisitionem nihil certi deprehendere possit, sed semper æque dubius remaneat, tunc præsumere potest non esse, si verò post legem latam & promulgatam dubitet.

an sit revocata, vel usu contrario abrogata tunc præsumptio stat pro lege, proindeque ad illam servandam obligatio est. Ita Lessius in prælect. Theolog. ad q. 19. dub. 10.

Superest una difficultas circa conscientiam dubiam; nimirum quando quis in eas angustias redigitur, ut quid quid faciat, peccatum devitare non posse videatur; & sic dubius, & anceps apud se est; quid potissimum agere debeat; v. g. interrogatus quis in privata conversatione de peccato occulto alterius sibi cognito, dubitat, quid sibi agendum sit; & verimque peccandi periculum sibi imminere videt: si enim negaverit ab illo commissum esse, aut à se cognitum, mentietur, si vero illud declaraverit, vel aliis loquendi modis usus fuerit, unde adstantes veritatem facti coniecere possint, famam proximi lædet. & detractionis peccatum incurret.

Resp. in tali casu, & aliis similibus, si nullum aliud pateat effugium neque ullo modo se quis ex eiusmodi angustis liberare possit, tunc id eligere, & agere debet quod minus malum sibi videtur, & illud agendo conscientiam peccati deponere, quia iuxta regulam iuris, *Ad impossibile nemo potest obligari; quis enim* (vt dicit S. Aug. Lib. 3. de lib. arb. c. 13.) *Peccat in eo, quod nullo modo caveri potest; Neque refert, utrum quis se ipsum sua culpa in hanc perplexitatem coniecerit, quia, quidquid fit de præterito, quod in eius potestate amplius non est, certe ad evitandum novum peccatum sufficit, vt quis tunc faciat id quod in se est. Nihil enim quovis tempore* (vt recte monet Gerson in regulis moralibus part. 2. tract. 1.) *amplius, ab homine requirit*

Deus; qui (vt declarat Concil. Trident. sess. 6.

cap. 11.) *impossibilia non iubet,*

SEC.

SECTIO VI.

Verum quis in operando possit sequi sententiam probabilem omissa probabiliori.

QVÆSTIONIS propositæ resolutio lucem majorem præbebit iis, quæ sup. sect. dicta sunt. Nomine autem sententiæ probabilis intelligimus eam, quæ tum ratione probabilis, tum præsertim gravi authoritate nititur; iungimus rationi authoritatem; quia, licet in rebus speculativis, quæ ad fidem non pertinent, argumenta ex ratione ducta sufficiant ad sententiam aliquam non solum probandam, sed etiam demonstrandam; in practico tamen & moralibus, in quibus agitur de recta divini legis notitia eiusque observatione, aut transgressione agnoscenda, intellectus humanus sibi ipsi non sufficit, sola ratio humana plerumque caligat, & deficit, ut veritas experientia teste nimis compertum est. Cum igitur sententia probabilis talis esse debeat, ut, quamvis certa & infallibilis non sit, tutò tamen teneri possit; certè præter argumenta ex ratione ducta, quæ ad eius probabilitatem non parum conferre possunt, gravi aliqua authoritate Doctorum orthodoxorum fulciri debet, ut, si perspicacitate, & acumine ingenii non possumus, saltem demeritis & humilitate id, quod rectum & iustum est, assequamur, & à pravo atque iniusto dignoscamus.

Cum igitur inter sententias probabiles aliqua probabiliore iudicari possint, quæ firmiori aliqua ratione, plurium Doctorum authoritate nitantur, quaritur an quando licitum sit, & tutum omissa sententia probabiliori minus probabilem amplecti Pro cuius resolutione.

Dicendum, ex duabus probabilibus sententiis contradictoriè oppositis, quæ versantur circa actionem aliquam humanam, utrum ea licita sit, nec ne, potest quis reprobabiliore sequi minus probabilem. Ita Nav. in cap. *quis autem, dist. 7. de poenit, Suarez. tom. 5. disp. 4. sect. 1.*

or. tom 1 lib. 2. cap. 16. quaest. 2. & 4. Med. in 1. 2. quaest. 19.
 art. 6. dub. penult. Isamb. ad praedict. quaest. 19. disp. 9. art. 4.
 Id constat ex eo, quod sicut non semper renemur sequi id,
 quod est melius, & perfectius; sed sufficit, ut sequamur id
 quod est bonum, alias consilia omnia Evangelica essent
 in praeccepto: sic à pari in opinionibus practicis non tene-
 bimur amplecti id, quod est verisimilius seu id quod ma-
 iorem habet speciem veri tatis talem, ob quam possit prudenter
 indicare verum praeterea ne quidem obligamur ex dua-
 bus probailibus sententijs contradictorie oppositis tuti-
 orem amplecti, sed illa relicta minùs tutam sequi possu-
 mus, e.g.s. Bonav. & quidam alij. Doctores asserunt eum,
 qui in peccatum mortale lapsus est ad confitendum sta-
 tum habita confessoris copia obligari; id negat S. Thom.
 In 4. dist. 57. part. 2. art. 2. quaest. 2. in eand. dist. q. 1. a. 3. q. 1.
 & plures alij. Iam quis non vider sententiam S. Bonaven-
 turæ in praxi longe tutiorem, & salubriorem esse, quod
 tamen non obstat, quin sententiam S. Thomæ quivis
 licitè ac tutò sequi possit ergo à simili, poterit quis sen-
 tentia probabiliori relicta, licitè ac tutò sequi minùs pro-
 babiliam.

Excipi tamen debet, quando iudex inter partes litigan-
 tes laturus est sententiam: tunc enim, licet unius causa
 probabilis illi videatur si tamen ex allegatis, & probatis.
 alterius causam probabiliorē, ac magis iuri conformem
 deprehendat, tenebitur illi victoriam litis adiudicare. Ita
 Sylv. Sot. & alij, quos citat & sequitur Laym. Tract. 1. de
 de consc. cap. 5. sect. 3. Ratio est, quia iudex tenetur litigan-
 tibus sententiam dicere secundum merita causæ: est au-
 tem per se notum ex litigantibus illum qui in iudicio
 causam suam secundum leges probabiliorē esse, probavit
 potiori iure mereri. Imo verò (vt ibidem rectè observat) si
 causæ litigantium sint æque probabiles, non est in iudicis
 arbitratu positum, vt litis victoriam adiudicet, cui parti
 maluerit: iudex si quidem non est Dominus iuris sed in-
 terpres proindeque tenetur cuique suum tribuere;
 quod

quod non faceret, si duobus æquale jus ad aliquid haberet, totum uni tribueret, quia sic personarum acceptionem committeret contra juris regulam 12. n. 6. ubi dicitur, *In iudiciis personarum acceptionem habendam non esse*, quare in tali casu, vel compositionem aliquam æquam consentaneam litigantibus suadere debet; vel etiam mutare potest; vel uni dimidium, alteri dimidium alterum juris aut rei, de qua lis est, adjudicare.

CAPVT II.

De Peccatis.

SECTIO I.

Quid sit Peccatum.

QVÆSTIO proposita intelligenda est non de peccato originali, quod aliena culpa contrahitur, de quo in priori hujus operis parte tractatum est, sed de peccato actuali, quod proprio voluntate incurritur. Hoc autem peccatum definitur à S. Augustin. Lib. 22. cont. Faust. cap. 27. *Factum est, vel concupitum, contra legem Dei æternam*, & à S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. dicitur, peccatum commissionis nihil aliud esse, quam actum humanum malum, & à recta ratione devium.

Quod ut clarius intelligatur, observandum est, ad rationem peccati duo præsertim requiri; nimirum; ut talis actus sit humanus, id est, voluntarius & liber; deinde, ut sit malus & pravus, id est, ut careat debita commensuratione ad suam regulam: regula autem actus humani propria est recta hominis ratio; (ut supra dictum est) remota vero, sed principalis ac primaria, est ipsa lex æterna, quæ per naturalis rationis lumen cuique manifestatur, dicente apostolo Roman. 2. quosvis homines gestare *Opus legis*

scriptum
ipsum
dictis de
ad substantia
teriale?
eiusdem
committit
vatio re
æterna,
actum h
Peccatum
de civit
humanam
illa effect
cap. 7. g
Ansel. l
Non est,
sed tant
Obs
compre
omissio
ad 1.)
ideoq
debet
de aliis
Obs
ad 5. p
verò à
rant fo
gi ver
quod
Dei o
ne S.
ut
scriptum